

SOPHISMA IV.

*Nulla anima est composita ex materia & forma.*

*In quodam corpore est anima. E.*

*¶ Corpus non est compositum ex materia & forma.*

Resp. Confunduntur in hoc Sophismate terminus obliquus & rectus, ex quâ confusione non possunt non plures quàm tres termini provenire. In Minore enim habetur tò *in corpore*, vel si casus rectus apponitur, *existens in corpore*, in conclusione autem ponitur *corpus*: at vero aliud est *existens in corpore*, aliud *ipsum corpus*. Sunt ergo sequentes termini: 1. *anima*, 2. *composita ex materia & forma*, 3. *in corpore existens*, 4. *corpus*.

SOPHISMA V.

*Nullum generandum est homo.*

*¶ Homo est generandus E.*

*¶ Homo non est homo.*

Resp. si termini ritè fuerint explicati, conclusio nihil absurdi dicit. Sicut enim homo in majore sumitur pro eò, qui est futurus: ita in conclusione loco subjecti sumenda est ista vox pro *homine futuro*, locò autem